



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1663. usque ad annum 1674

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119193

§. 98. Sfortia Pallavicinus Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67332](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67332)

Sæc. XVII millia amiserat, Christianorum nonnulli
A. C. 1667. tribus millibus & ducentis in hujus
 anni expeditione desideratis.

§. XCVIII.

*Sfortia Pallavicinus Cardinalis
 mortuus.*

*De trib.
 Hist. Conc.
 Trid. Cæsar.
 Aquil.
 Ciacon. in
 vita Ale-
 xandri VII.
 Alegamb.
 Script. S. J.*

Inter Cardinales, qui Sede vacante
 post Alexandri VII. obitum decessere
 erat Sfortia Pallavicinus, patria Ro-
 manus, qui veluti discere præfessus
 vix emenso decimo quarto ætatis anno
 jam Philosophicæ ac Theologicæ facul-
 tatis lauream emeritus est, adultior
 vero factus, atque ab Urbano VIII.
 utriusque signaturæ referendarius no-
 minabatur, cumque hujus Pontificis
 animum erga se haud leviter refrige-
 ratum sentiret, relicta Roma quasdam
 Pontificiæ ditionis urbes regendas sus-
 cepit, tandem vero infidæ fortunæ
 pertæsus, Societatem trigesimo ætatis
 anno ingressus est, ubi sacratioribus li-
 teras aliquamdiu professus, totum se
 studiis dicabat, ac singularem Ale-
 xandri VII. favorem promeritus, ab
 eodem Cardinalis, pluriumque Con-
 gregationum Consultor renunciabatur.
 Denique meritis plenus die quinta Julii
 Romæ sexagenarius decessit. Reliquit
 plurima ingenii sui momenta, inter
 que

quæ potissimum celebratur ejus Histo-^{Sæc. XVII.}
ria Concilii Tridentini contra Paulum ^{A. C. 1667.}
Sarpium, quamvis quidam Author, quæ ab
qui se *Cæsarem Aquilinum* nominat, Pa-
lavicini Historiam minus præstantem
esse propugnet Sarpii & Scipionis Hen-
rici Historia, eo quod *innumera a longe*
petita, non dicam utilia ac bona, sed etiam
perniciosa & pessima adjunxerit, necnon
abscondita & incerta evulgarit, & quæ ab
Henrico ut indigna ac vilia contemneban-
tur, ut magna & necessaria amplificavit,
ac denique summo livore imbutus, omnia,
quæ Paulus Sarpus scripsit, *ut passim*
reprehenderit, ac promiscue sive bona, sive
mala verborum profluvio involverit, atque
ut falsa suadere nisus fuerit. Utut vero
de hujus censuræ æquitate sit, negari
haud potest, quod Palavicinus a sum-
mis Romanæ Curie Ministris abun-
dantius genuinos fontes seu libros vel
manuscriptos vel typis editos, necnon
acta & epistolas ac relationes de hoc
Concilio ex archivis obtinuerit, ejus-
que Historia pro Catholicæ fidei veri-
tate & Concilii autoritate vindicanda
utilior sit, cum tamen illa Pauli Sarpii
ad Concilii fideique orthodoxæ detri-
mentum tendat, & hæreticis calum-
niandi ansam præbeat.

Edidit insuper Sfortia libros novem
de universa Theologia, vindicias So-

Sæc. XVII. cietatis, Libros VIII. assertionum Theo-
 A. C. 1667. logicarum, Disputationes in primam
 secundæ D. Thomæ, Philosophiam Mo-
 ralem, artem perfectionis Christianæ,
 fastos sacros, præter epistolas varias.

§. XCIX.

*Volumnii Bandinelli Cardinalis
 obitus.*

Cracon. l. c. **A**lter erat Volumnius Bandinellus
 Nobilis Senensis, qui in patria
 uxorem duxit, ex qua plures suscepit
 filios, atque in aula Magni Etruriæ Ducis
 cum summa nominis sui laude ver-
 fatus aliquamdiu sese detinuit; Con-
 iuge autem sua orbatus, ac Fabio Chie-
 sio Cardinali intima amicitia junctus,
 ab eodem in Papam electo Romanam
 accersitus est, ubi Pontificii cubiculi
 Præfectus, & Palatii Oeconomus, dein
 Patriarcha Constantinopolitanus, ac
 demum Presbyter Cardinalis renun-
 tiabatur: Rexerat etiam per trien-
 nium Legatus Æmilianam Provinciam.
 Romam postea reversus, in pia huma-
 narum, Divinarumque rerum contem-
 platione residuos vitæ dies transegit,
 tandem die quinta Junii vita functus.
 Erat Vir natura, consuetudine, & di-
 sciplina lenissimus, ac prudentia & re-
 ligione singulari præstans.

§. C.